



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXCI. Ioannis Papae VIII. Ad Hvgonem Et Alios Comites. Gratias agit de fide, quam Ludouico & Carolomanno regibus seruabant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

imperator auus vester, ac postmodum genitor vester Hludouicus rex, sub protectione Romanæ ecclesiæ, nostraque apostolica tuitione vos commendauerunt, ita nostrum apostolicum affectum circa vos in omnibus ostendere, vosque adiuuare ac protegere paterna dilectione atque amore semper parati existimus. Præterea de his, quæ per iam dictum episcopum verbotenus mandastis, ita vobis per eum dictis respondendo direximus. Nam ea quæ nostro consilio reperimus, & vobis innotescendo mandauimus, ad vestrum honorem proficua esse omnino credite.

## EPISTOLA CCXCI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD HVGONEM ET ALIOS COMITES.

Gratias agit de fide, quam Ludouico & Carolomanno regibus seruabant.

*Hugoni eximio abbati, seu Bernardo, Guitoni, & aliis regni gloriosis comitibus.*

**A**VDIENTES bonam famam de vobis, quod protectores, defensores, atque fideles Hludouico & Carolomanno excellentissimis regibus, qui nobis a progenitoribus suis commissi sunt, in omnibus existitis, gratias referimus maximas. Quapropter his apostolicis nostris literis magnificentiam vestram exhortamur, vt more fidelium parentum vestrorum, magis ac magis circa eos vestram sincerissimam deuotionem ostendatis, quoniam & nos, Deo propitio, in eorum adiutorio vobiscum pariter in omnibus prompti existimus: vt dignam exinde vos, non solum a Deo & a nobis, verum etiam & ab illis retributionem percipere mereamini.